

ptores scripsit libr. 12. De Genesi ad literam Augustinus. Denique infinitum esset, quanta sit ubique huius authoris impuritas colligere, quem Bernardus perstrinxit tum Homilia de Dicto Origen. tum Sermonem 54. in Cant. Cant. quem tamen tanquam oculos suos quidam diligunt: quum & de peccato Originis, & de Purgatorio pessimè senserit, magnaque errorum qui postea sunt consequuti, semina sparserit: tanti est ad sobrietatem sapere, neque vanis animi sui commentis more ἀποβατῶν indulgere, quod fecit Origenes.

3 In libris de Civitate Dei.) Vide librū 20. De civitate, cap. 7: & 9. item libr. 21. cap. 23. item etiam eiusdem operis libr. 22. & Tertullianum in libr. De anima. & sæpe Basilium in Homiliis.

CAPVT XLIIII.

Pauliani, vel Samosatreniani cur sic dicti. Erroris autem eorum capita duo declarantur.

Pauliani à Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed eius initium, ex quo de Maria natus est, asseuerant, nec eum aliquid amplius, quàm hominem putant. Ista heresis aliquando cuiusdam Artemonis fuit: sed quum defecisset, instaurata est à Paulo: & postea sic à Photino confirmata, ut Photiniani quàm Pauliani celebrius nuncupentur. Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia catholica Niceno concilio constitutum est. Vnde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi heretici quum de catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.